Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput X.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

In ora Piscaria ingenti cum gaudio fructuque degens, neophytos afflictos recreat.

Cap: X.

Quam solidos autem Divinæ voluptatis fructus
ex suis maximis laboribus Xaverius ceperit, incre-
dibile dictu est; ipsemet in Epistola Romam Socie-
tati missa significavit. Operæ pretium est, audire
eos, qui præ humanis commodis divina con-
temnunt, piorum hominum vitam jucunditatis om-
nis expertem rati: quasi nullis esse queat volupta-
ti locus, ubi non deliciæ atque opes affluant. In
clausula igitur epistolæ Socios ad eosdem labores
invitans adjecit: Tanta vis est solatiorum cælestium Cælestium
quæ Deus impertijt eis, qui in hac vinea Indica gaudiorum copia
ad Christum convertendis elaborant, ut, si quod
„ in hac vita gaudium, hoc unum mihi esse videatur.
„ Nec verò hoc temerè affirmavit, sed aliis sua-
„ sit, quod expertus erat ipse; sæpius enim in ejus-
„ modi laboribus superfundente se cælesti lætitia,
auditus est, cum remoto ab arbitris (: ut excolebat :)
loco ita diceret: Quæso te, Domine, noli, si placet,
„ noli tanta me gaudiorum mole obruere in hac vita:
„ aut certè si pro tua infinita benignitate vis tam
„ affluenter circumfluere me lætitijs, transfer in domici-
„ lium beatorum: nam qui tuam semel dulcedinem
„ interiore gustavit sensu, vitam sine te acerbam vi-
„ vat necesse est. Versatus est itaque in ora Piscaria
Xaverius annum totum summo cum labore, pariq[ue]
lætitia (: qui lætitiæ cumulus fuit :) maximo Baptizatorum multitudine
Christianæ rei incremento. Constat quippe ex
ipsius litteris, amplius mille infantes ab eo bapti-
zatos sub baptismum in cœlum evolasse. Ex quo
conjectari licet, quanta tandem summa fuerit, vel
superstitum infantium, vel adultorum, quos ad Christi
aggregavit

aggregavit Ecclesiae. Satis etiam constat, in illa
ora complures pagos, et oppida quaedam tota
ab illo ad Christianam religionem esse traducta.
Re Christiana in ora Comorinensi ita gesta, &
constituta, in exitu anni post Christum natum M.
D. XLIII. revertit Goam, de gravibus quibusdam
religionis Christianae negotiis cum Indiae Praetore
acturus. Per eam occasionem aliquot è
prima eius gentis nobilitate adolescentulos se-
cum deduxit, literis in Goano seminario institu-
endos, pignora simul et subsidia fidei Christianae.
Iam Goanum Collegium magna ex parte aedificatum
atque instructum erat. Idcirca Borbanus passus non
est Xaverium in valetudinario consuetudine sua
diversari, sed ei domum abducto administrationis suam
P. Camers primus Rector Goani Seminarij permisit ultro: quam ille de eiusdem sententia
Paulo Camerti sociis nuperè Mozambico ad-
venerat tradidit. Praecurrerat Xaverij reditum
fama rerum admirabilium in ora Piscaria ab eo
gestarum: plurimumque illi adiecerat venerationis,
cum apud caeteros, tum verò apud Indiae Praeto-
rem, cui notus in primis et carus erat. Itaque
haud difficulter ab eo, quaecumque voluit, impetra-
vit. Inter quae hominum in ora Comorinensi
ad vitam revocatorum fama Goam perlata
Xaverij nomen passim celebrabat. Ergo eum In-
dus olim Borbanus pro vetere familiaritate seduliò
enixè orans & obtestans, ut ad Dei laudem sibi e-
nunciet de iis, quos in Comorinensi regione eius
precibus à mortuis excitatos fama ferat. Ad hanc
Insignis Francisci in suis laudibus pudor. Francisci vultus pudor, verè modestiae magis, quam
ucritatis index, virginali suffudit rubore. Igitur
rem sibi gloriosam, salvâ veritate, tegere molitus
Borbanum comiter amplexatus, atque subridens

IESV

JESV bone, inquit, egóne ut mortuos ad vitam revo-
carim! O me hominem nequam! Puerum ad me
quidam detulerant mortui specie: is à me Christi
nomine jussus surgere, repentè surrexit. Id videli-
cet, & alia hujusmodi, qui aderant, pro miraculis
vulgauerunt. Hac miraculorum dissimulatione su-
a utique prodente veritatem:/ nec quicquam a-
pud Barbaros & alios de illius famâ detraxit, fide,
et ipsis penè miraculis admirabilior fuit. Xaverij
porrò rebus, quarum causa venerat, confectis,
& Francisco Mansilla socio assumpto, in oram
Piscariam revertitur VI. Kal. Martias anni in-
sequentis, seque protinus ad intermissa munia re-
fert caritatis. Jam praeter Mansillam adjutores
aliquot habebat, Joannem Lerianum Hispanum
Sacerdotem, indigenásque Sacerdotes duos, qui eò
partim Goa, partim Cocino, ob eandem causam
Xaverij rogatu contulerant se. Cum his igitur
provinciam partitus, vicos circumire, baptizare
infantes, aliósque ut idem facerent, per literas ad-
monere non desistebat. Labor idem, qui antea,
difficultas etiam major fuit. Versabatur homo
peregrinus, et Malauaricae linguae ignarus; nam
praeter illa Catechismi capita nullum ferè com-
tenebat verbum, & inter Malauares neophytos
sine interprete. Sed ea res invitabat potius eius
conatus, quàm retardabat. Neque enim ad baptizan-
dos infantes requirebat interpretem: et ægroti
ac miseri suas illi miserias per semetipsos ita
ostendebant, ut facilè appareren[t] ipsi; quæque
studio ac meditatione assequebatur, ut sibimet
esset interpres. Namque etsi vernaculi sermonis im-
peritus, tamen, utcumque poterat, verba faciebat ad
populum, vultu ac gestibus, verborum saepe vicem
implentibus.

Miraculorum dissimulatio

Adiutores ad
dunt in oram
Piscariam

Separatim viros ac mulieres Catechismo instituit.

implentibus. Caeterum ut ordinis et decori ratio
haberetur, non promiscue omnes, sed separatim vi
ros ac mulieres alternis diebus conuenire ad Cate
chismum jubebat. Praecipue baptismus infantium atque

Puerorum baptismus quanta cura illi fuerit

institutio puerorum illi cordi erat, propterea quod
caelestis beatitudinis, ex qua adultorum complu
res ad pristinos mores reuoluti exciderent, infal
ter profecto participes compotes forent, qui prius
vitam quam baptismalem innocentiam amitterent.
Ideo non modo ipse faciebat, ut tenerae aetati
potissimum operam daret, verum etiam Mansillae
socio suo diligentissime praecipiebat. Neque vero
animis solum neophytorum, sed etiam corporibus,
quoties res locusque posceret, ferebat opem.

Badagarum gens immanis Comorinensium calamitas.

Finitima orae Piscariae ab ortu Solis gens est fe
ra et immanis, Badagae appellantur. Haec magna
manu, siue odio religionis, siue praedae cupidine
stimulante, populabunda Comorinensium Christia
norum inuaserat fines. Illi subita hostium incur
sione conterriti, relictis trepide vicis, in scopulos
oppositos breui maris spatio transmisso abdi
derant se se. Ibi sub dio atque in sole, si cuius ar
dorem illis locis maximum esse diximus, miserri
me torrebantur: et subsidia vitae deerant adeo,
ut nonnullos extrema absumeret fames. Trepidis
hic nunquam non misericordiam solum mouit Xauerio,
sed curas etiam auxit ad ferendum in nouo casu

Francisci subsidia ad subleuandam neophytorum miseriam.

nouum auxilium. Strenue igitur viginti nauiculas
onustas commeatu ad miseros illos ipse perdu
xit. Literas quoque ad finitimae orae Patanga
tinos ac magistratus dat, eosdemque ut miseris,
corrogata ex locupletioribus stipe, subleuarent;
ita perditis hominibus non magis in praesentia
quam in posterum subuenit. Ut primum vero
hostium dispersa tempestas illa sedata est, disper
sas oues colligens, nullum boni pastoris officium
praetermisit

prætermisit. Ille jacentes erexit, ille afflictos tum
oratione, tum omni ope recreavit. Ecce autem nova
procella exoritur, hoc gravior, quo diuturnior.
Qui oræ Piscariæ præerant, Lusitani homines et
impotentes, superbè avarèque neophytis imperare
coeperant. Xaverius rei indignitate haud secus
quam par erat motus, primò eorum cupiditati for-
titer restitit: ad ultimum, ubi non satis virium
ad obsistendum in se esse vidit, opes ab Indiæ
Prætore, qui tum Cocini erat, implorandas ratus,
ad eum proficisci statuit. Sed novæ subinde res
id consilium susceptumque jam iter averterunt.

Travancoridis regnum Christo adiungit
neophytosque à Barbaris tuetur.

Cap. XI.

Sesquiannum fere hoc in labores absumpserat in
ora Piscaria: iamque tantum studio & assidui-
tate profecerat, ut qui XX. partim vicos, partim
oppida sane India accepisset, XXX probè
culta ac morata tuenda sociis traderet. Rebus
itaque, quoad eius fieri potuit, compositis, neo-
phytorum curas Mansillæ mandat, Cocinum ipse
per Travancoridis oram, Piscariæ proximam, — Travancoris ora.
transiturus. Travancoris ora maritima in altero
Indiæ latere, in quo Goa est, vergit ad Occasum
Solis. Inter Comorinum promontorium, et Colanum
oppidum interjacet, à Cocino millia passuum
fermè XXX. Eius longitudo perhibetur millium
facilè LXXX. In eo tractu illis temporibus vici
erant ad XXX maritimi, quos partim Ethnici
piscatores (Macuas vocant) partim Saraceni
incolebant. Transitum igitur, sive quod navigii
facultas deesset, sive quod ex itinere illorum
animos tentare vellet, per eorum fines Cocinum
petendi cupido cepit. Non defuerunt eius amici

ac necessarii